



LVDOVICVS nihili, mortuo patre Carolomano coronam regni Franciæ suscipit, anno mundi 4846. à Christo nato 884. hunc non annumerat Paulus Aemylius in serie regū Franciæ, vel quòd eundem hunc putet cum Carolo Simplice, Balbi posthumo, cuius simplicitas hic, sub nomine Ludouici nihili, interposita sit: (nam etiam hic attentioribus turbata & confusa videtur historia) vel quòd huius Ludouici loco (si quidem alter sit ab illo Simplice) ob ignauiam quasi reiecti, censeatur potius Carolus Crassus, qui Romæ tunc imperabat, Franciæ quoque Rex: nam & is Carolus regnum etiã optimè dicitur administrasse, ab Italia euocatus, vt statim dicetur. Fertur Ludouicus hic pulsus fuisse regno, anno quinto: cuius regni annos quinque in Carolū Crassum, ob eam quam diximus causam, transferimus. Gag. li. 5.

CAROLVS cognomento grossus, siue crassus, Ludouici 2. Germaniæ regis filius, Romæ imperat post Balbū, anno mundi 4842. à Christo nato 880. hic cū subsidio opus esset Italis contra Saracenos, à Papa Ioanne octauo, necessitate compulso, è Germania accersitus, profligatis Saracenis, imperialem coronã accipit. Accersitus à Francis aduersus Normanos, Franciæ Rex appellatur. Neustrij publicè detrectabant imperium: pacem cum eis composuit: idque Neustriæ, quod nunc Normania est, nomine à nouis incolis indito, incolendum eis dedit. Exin qui iuuenis mira indole fuerat, adeo degenerauit ab illa Caroli Magni stirpe, vt quòd rebus suis, publicisque superesse non posset, curator ei daretur, nouo exemplo fratris filius patruo: is est Arnulphus. Aemy. Egna. lib. 3. imperat annis 10.